

erint illuminati et gustarint donum caeleste, et participes sint facti spiritus sancti, et qui bonum gustarint dei verbum, virtutesque futurae aeternitatis. Ratione status praesentis v. 6. eos describit, quod sint παραπέσοντες, καὶ αὐτοὺς ἐκυρώντες τὸν ψιλόν τε θεόν καὶ παρεδειγματίζοντες, tales, qui excidant, et sibimet ipsis crucifigant illum dei filium, ac publicae ignominiae eum faciant exemplum.

## §. V.

Priusquam ipsum horum verborum explicationem adgrediar, antea ellipsis explenda est, quae in iis deprehenditur, dicitur: αἰδούατον γαρ αὐταντίζειν εἰς μετάνοιαν τὰς ἀπαξ Φωτισθέντας κ. λ. (haec enim est cohaerentia verborum paullinorum grammatica) impossibile enim est renouare ad poenitentiam, eos qui semel fuerunt illuminati etc. Omissum hic est subiectum renouans, hoc ergo est supplendum, et determinandum, cuinam impossibile sit ad poenitentiam renouare eos, qui semel fuerunt illuminati etc. Hoc subiectum renouans facili opera ex sermonis paullini colligitur nexus, probatum scilicet dedimus in praecedentibus (§. III.) quod in hocce commate quarto et duobus subsequentibus quaedam suppeditetur ratio eorum, quae in tribus praecedentibus commatibus fuerunt dicta, ergo cum hi versus intime cohaereant, in omnibus istis subiectum agens praecipuum vnum idemque est admittendum; iam vero in tribus prioribus huius capititis commatibus, subiectum agens est Paullus, vna cum suis, quos per communicationem ad se refert, Ebraeis, ibi enim v. 1. dicitur: ἐπὶ τὴν τελεότητα Φερόμεθα, nos iam ad perfectionem feramur, it. v. 3. τέτο ποιήσομεν, δάνπερ ἐπιτρέπη ὁ Θεός, hoc nos faciemus siquidem per-

mi-